



16



Al. K.

1794
2
gm.

A
A
A
A
A
A
A
C
C
C
C
C
C
C
C
C
C
C
C
H
D
H
H
H

[Blind-stamped rectangular area on the right side of the page]



MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM;
 QUORUM UNUS
AURIS DOLORE,
 ALTERA
FEBRI TERTIANA
 CONTINUA LABORAT.

Q V A M,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE;
 SUB PRÆSIDIO
 VIRI CLARISSIMI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRI, & Medicinæ,
 Anatomes, ac Botanices Professoris Ordinarii,
 & Philosophi eximii,

Publicæ disquisitioni exhibet

JOHANNES AB EVERDINGEN, Ultraj.

Ad diem 6. Novemb. horâ 9. matutinâ.



TRAJECTI AD RHENUM,
 TYPIS Theodori ab Ackersdyck, & Gisberti à Zjll,

CIO IO CL.

Nobilissimo, Prudentissimoque Viro,
DD. IOANNI de RAESVELT,
D. de Raesvelt, in Niewenrode, in
Slicdrecht, &c.

NEC NON

Clarissimo Acutissimoque Viro
D. HENRICO REGIO,
Reip: Ultrajectinæ Poliastro,
Medicinæ, Botanices, & A-
natomes Professori celeberrimo,
Præsidi meo venerando.

Hasce studiorum suorum Medicorum
primitias in gratitudinis signum

OFFERT

JOHANNES AB EVERDINGEN



MEDICATIO JUVENIS
AURIS DOLORE
LABORANTIS.

I.

Iuvenis 28. annorum, robustus, plethoricus, intensissimo afficitur dolore dextræ auris, quo pene ad delirium adigitur. Adest febricula continua, distensionemque & gravitatem ac calorem pulsationemque, non tantum foris, sed etiam intus in aure percipit. Rubor & calor ad tempora & malam usque portenditur. Interiora quoque auris aliquomodo tumere & rubere conspiciuntur.

II.

Afficitur in hoc ægro auris dextra secundum partes internas & externas, quod ex querela ægri, item ex rubore tumore pulsatione & calore, circa aurem & in aure perceptis, est manifestum. Afficitur etiam cor & totum corpus; ut ex febricula colligitur.

III.

Morbus, qui ægrum affligit, est intemperies sanguinea & biliosa auris dextræ; quæ dolorem, calorem, tumorem, pulsationem, gravitatem, & tensionem, in ea & vicinis partibus, item febrim continuam producens, à potiore symptomate *otolgia* græcè, & *dolor auris* latine appellari solet.

IV.

Causa antecedens hujus morbi est plethora nostri ægri; pars verò ejus ad aures à corde propulsa, & ibidem, propter poros ibi justo magis patentes, in auris partibus internis & externis insinuata, & inde cum fervore ad cor delata *continens* hujus morbi & symptomatum ejus est causa.

V.

Dum enim humor sanguineus & biliosus, partibus istis insinuatus, sua quantitate partes auris & vicinorum membrorum replet & expandit, *facit in iis tumorem, ruborem, gravitatem & distensionem*, & ob *arteriarum* ex quantitate ista pressionem, earum *pulsationem*; Dum verò vehementi suo fervore, quem ab ætherea materia, vehementius in poris ejus se agitante, accipit, mem-

branas, nervos, aliasque acutissimo sensu præditas auris temporum & malæ partes, vehementissime agitat, eumque motum ad cerebrum defert, *intensissimum in iis partibus excitat dolorem*, qui ob suam vehementiam *ægrum nostrum ad insaniam pene redigit.*

V I.

Morbus hic ob doloris vehementiam, & acutum partium affectarum sensum, & cerebri sympathiam periculosissimus est. Metus enim est, ne delirium, lipothymiam, cerebri inflammationem & convulsionem, aliaque gravissima inducat symptomata.

V II.

Celeri itaque & accuratissima *curatione* hic morbus est in pugnandus; quæ in intemperiei & tumoris, per contraria, ablatione, & doloris sedatione consistet.!

V III.

Primò itaque tali clystere emolliente refrigerante & laxante fiat corporis evacuatio:

Rx. rad. althææ, lilior. alb. an. ℥ j.

herb. malvæ, bismalvæ, parietariæ, violariæ lactucæ an m. j.

sem. lini, fenigræci an. ℥ β.

coq. ex aq. com. ad ℔. j.

Colaturæ adde diaphanici, diaprunis an. ℥ vj.

ol. violacei camomillor. an ℥ j. salis comm. ℥ j.

M. F. Clyster mox injiciendus.

Corpore expurgato, & horâ unâ atque alterâ intermissâ vena, in dextro brachio aperiatur sanguisque liberaliter ad uncias decem præter propter educatur: & clyster atque venæsectio sequenti die reiterentur.

Interea temporis ad revulsionem humorum, ac intemperiem corrigendam, dolorem sedandum, tale medicamentum auribus instilletur:

Rx. lactis muliebris recenter emulsi ℥ ij.

albuminis ovi in liquorem agitati ℥ β.

Misce & instilletur in aurem tepide.

citra vehementem auris contactum.

Oleum etiam rosarum cum succo plantag. & solani, si ardor ingens sit, instillari potest, præsertim si ei aselli vivi incocti & expressi fuerint: dolorem enim valde sedant.

Tali

Tali etiam utatur fotu.

Rx. malvæ, bismalvæ, violariæ, lactucæ, an. m. j.

sem. cydonior., malvæ an ʒj. β.

flor. camomill., ameliloti an. p. j. flor. ros. rub. p. β.

F. decoctio, qua pars affecta leviter & tepide, cum spongia madesacta & expressa, foveatur.

Et post fotum tale imponatur cataplasma:

Rx. herb. malvæ, bismalvæ, chærefolij an. m. j.

farin. sem. lini fenigreci an. ʒβ.

medulle panis candidi ʒij.

cum lacte vaccino F. Cataplasma, tepide cum linteis applicandum.

Hoc cataplasma resolvit, & si materia resolvi non potest, etiam suppurationem procurat. IX.

Si doloris summa vehementia urgeat, tale narcoticum adhiberi poterit:

Rx. opij thebaici gr. iiij.

castorei, croci an. gr. j. β.

cum lacte muliebri q. s. subigantur & in aurem instillentur.

Et sub tempus somni exhibeatur philonii persic. ʒj.
vel laudani opiatii gr. iiij.

Ad suppurationem maxime commendatur tale cataplasma ex cæpa factum:

Rx. cæpam majorem N. j.

butiri recent. ʒij.

ol. camomill. rosac. an ʒj. croci ʒj.

F. cataplasma, quod moderate calidum part. adhibeatur.

Factâ suppuratione, æger in partem affectam decumbat, ut pus commode effluat; & eluatur auris tali remedio:

Rx. decocti hordei ʒiiij. mell. rosar. ʒj.

Misce & instilletur in aurem tepide.

X.

In diata Aër sit temperatus. Cibus parcus, refrigerans. potus cerevisia tenuis, & julapium ex syr. de limonibus & aqua hordei. motus vitetur; concilietur omni ratione somnus; atque ideo utatur amigdalato cum syr. & sem. papaveris albi. Alvus quotidie respondeat natura vel arte. Vitet omnia vehementiora animi pathemata.

E 3

MEDI-

MEDICATIO PUELLÆ
FEBRI TERTIANA

Continuâ Laborantis.

I.

PUella annorum viginti, malâ diætâ, eâque calidior, aliquamdiu usa, incidit post rigorem, in magnum totius corporis ardorem, alternis diebus ingravescentem, & cum pulsu celeri, crebro & inæquali, ac ingenti siti & vigiliis conjunctum. Isque etiam per triduum continuo durat. Adest etiam capitis dolor insignis, & linguæ nigredo. Vermes nonnullos excrevit.

II.

Afficitur in hac ægra totum corpus, ut ex totius corporis ardore; cor, ut ex pulsu vitiato; caput, ut ex dolore; lingua, ut ex nigredine; œsophagus; ut ex siti; & intestina, ut ex vermibus excretis est manifestum.

III.

Morbus, affligens hanc ægram, est intemperies quædam sanguinis biliosa malignior, quæ perpetuo effervescent, & alternis diebus ingravescent, pulsumque celerem crebrum & inæqualem, aliaque symptomata gravia, hic commemorata, excitans, *febris tertiana continua* appellatur.

IV.

Causa procatartica hujus morbi est diætâ calidior, qua hæc puella diu fuit usa. Ab hac verò multi biliosi in corpore geniti humores *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. In vasis verò, hi putrescentes, ibique calorem præter naturam contrahentes, & ad cor perpetuo delati, & deinde per totum corpus distributi, *continens* hujus morbi & symptomatum commemoratorum sunt causa.

V.

Cum enim materia hæc biliosa in vasis primum vehementius effervesceret, quia multas aqueas partes habebat admixtas, ad cor delata, fervorem ejus solitum nonnihil iis imminuens, & in cerebrum cum spiritibus evecta, eosque inordinate movens, totum corpus eo refrigerando, inordinatoque spirituum influxu movendo, rigorem produxit: Discussis verò particulis istis aquo-

sis,

sis, materia illa majorem perpetuumque, sed alternis diebus ex peculia sua temperie ingravescentem, calorem in corde concepit; qui per arterias in totū corpus sed inæqualiter tamen distributus, pulsum celerem crebrum & inæqualem; & in capitis membranas & cerebrum sublatus, dolorem istum ingentem & vigilias; os vero exurens, nigredinem; & fauces perpetuò œsophagumque exsiccans, perpetuam sitim inducit. Et quia pars materiæ morbificæ, in intestinis existens, habet particulas putridas, quæ in vermes efformantur, ideoque vermes ægra nostra aliquos excrevit.

VI.

Febris hæc, quia est continua, nec ullas inducias præbet, & gravia inducit symptomata, tertio die ingravescentia, periculosa est; atque ideo diligenter desiderat *curationem*.

VII.

Quæ consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis, continentis, & intemperiei per contraria ablatione.

VIII.

Primo itaque injiciatur mox talis clyster:

℞. sol. violariæ, lactucæ an. m. j. flor. nymphae albæ, violar. an. p. j.
hord. mund. m. β. 4. sem. frig. maj. an. ʒ. j.
prun. damascen. N. x. Decoq. ex aq. comm. pro ℥. j.
in colatura dissolve diaprunis sol. ʒ. j.
saccari rubr. ʒ. β. salis ʒ. j.

Misce F. Clyster, mox injiciendus.

Postridie vena secetur, & educatur sanguis ad ʒ. vj. vel viij. pro ratione virium.

Interim utatur tali julapio:

℞. syr. acetosi simplicis, oxysaccari simpl. an. ʒ. j. β.
aqu. acetosæ borrag. endiviæ an. ʒ. iv.
ol. vitrioli gutt. vj. Misce f. julep de quo subinde bibat haustum.

Tertio die hoc purgerur haustu:

℞. cassia recens extractæ ʒ. β.
elect. de succo rosar. ʒ. ij.
aq. cichorij ʒ. ij. syr. de cichor. cum rabarb. ʒ. β.

Misce F. haustus, aliquoties, usu exigente, repetendus.

Ad sitim mitigandum utetur decocto hordei, cū syr. de acetositate citri vel de limonibus, in cujus ℥. j. dissolvantur syrupor. ʒ. ij. vel ʒ. iij.

Pro

Pro eadem utatur etiam tali condito:

Rx. *conserva violar., oxalidis, nymphae an. ℥β.*
rob. de ribes ℥ij. spec. diatragacanthi frig. ℥ij.
syr. de limonibus q. s. F. conditum, de quo sumat subinde
castaneae quantitatem.

Ad somnum conciliandum praescribatur emulsio amigdalata cum sem. pa-
paveris albi, vel sumat laudani opiati gr. iij. X.

Pro mitigatione cephalgiae, post venæsectionem adhibeatur oxyrhodinum
ex aq. ros. & nymphae ac aceto factum, cum pannis intinctis tepide.

Pro linguae nigredine tollenda admoveantur vicissim panni linei in-
tincti mucilagini psyllii extractae cum aq. rosar. lactucæ & malvæ æquali-
bus partibus ad lib. j. Vel humectetur lingua mucagine sem. cydoniorum.

Ad viscera hepatis & cordis refrigeranda tale epithema adhibeatur:

Rx. *aq. ros. ℥β.*
acetos., buglosse an. ℥iiij.
vini albi ℥j.
santali citrini, rubri an. ℥j. β.
spec. diamargariti frigid. ℥j.
croci ℥β.

Misce pro epithemate, cum pannis lineis & postea expressis
hepatis & cordis regioni tepide adhibendo.

Ad venas enecandos & exturbandos tali utatur lenimento:

Rx. *aloes pulverisatæ ℥ij.*
pulv. cornu cervi ℥jβ.
olei amigdalar. amaror. ℥j.
succi portulacæ ℥β. cere parum.

M. F. linimentum, umbilico inungendum.

Intro sumat hoc medicamentum:

Rx. *cornu cervi in scobem subtilem redacti ℥j.*
syr. de limonibus ℥j. Misce, sumatur è cochleari.

XI. In aëre versetur frigidior. Cibus sit refrigerans & humectans,
tenuis & paucus, ex cremore hordei, jusculis gallinaceis, verveci-
nis, oleribus, qualia lactuca, acetosa; item piscibus sexatilibus; nec
non prunis, pomis acidis; potus sit aqua hordei, cerevisia tenuis
Somnus omni ratione procurandus. Excretio alvi mediocriter
provocanda. Fugiat tristitiam bonam habeat spem.

C O R O L L A R I A.

1. Errat, qui statuit venæsectâ sanguinem fluere ob fugam vacui.
2. Nox & dies fiunt à diurna circumvolutione telluris circū suū axem.
3. Corpus, dum movetur, eodem tempore est in duobus locis.

F I N I S.


00 A 6396

ULB Halle 3
002 928 167



St





A R I A.

in corde ; interdum natu-
sed semper malignior.

ia cerebrum à materia acri-
am & malignitatem illam
e, & ad eam expellendam
omnes nervos, tanquam
contrahere & agitare ; &

nato seu motu

is d
.
by
is ,
lum
;
ato
r u
ida
por
mm
I

MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM;
QUORUM UNUS
AURIS DOLORE,
ALTERA
FEBRI TERTIANA
CONTINUA LABORAT.

Q V A M,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE;
SUB PRÆSIDIO
VIRI CLARISSIMI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRI, & Medicinæ,
Anatomes, ac Botanices Professoris Ordinarii,
& Philosophi eximii,

Publicæ disquisitioni exhibet

JOHANNES AB EVERDINGEN, Ultraj.

Ad diem 6. Novemb. horâ 9. matutinâ.



TRAJECTI AD RHENUM,
TYPIS Theodori ab Ackersdyck, & Gisberti à Zyll,

MDCCCLXXII

